


De Latitudine terræ, locorumue,

Caput VIII.

Latitudo regionis vel habitationis, est segmentum eiusdē meridiani, vertice, seu polo horizontis, atq; æquatoris circulo diffinitum, & est semper equalis altitudini seu elevationi poli supra horizonta: quadā tamen ratione inter se differunt. Nam eleuatio siue altitudo poli, est arcus meridiani inter polum mundi, & horizontē interceptus. Latitudo vero loci, est arcus meridiani inter zenith capitum & æquatoris circulum contentus. Hæ autē duæ portiones meridiani (vt auctor sphæræ demonstrat) sunt æquales. Numerus igitur latitudinis terræ tam septentrionalis q̄ meridionalis in solido planoq; de .10. in .10. (vt assolet) scribitur: similiter & longitudinis.

Formula huius traditionis.



Præterea ne quid supputationi nostræ desit, cōsulto apposuimus organum hoc, in quo latitudinis alicuius oppidi, & elevationis poli equalitatē ostendere decreuimus. Habes igitur iucundissime Lector hic horizonta mobilem, quē ex parte Septentrionis aut deprime, aut eleua, secundum q̄ numerus graduū elevationis poli, pro certa elevatione ex-

C postua